



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XXIV. De Reatu pænæ. ad q. 87

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

interpretativè velit illud amittere, in quo subiectio ad DEUM, ejusque amicitia consistit, etiam implicite & in confuso cognoscit amissionem gratiæ sanctificantis, quæ sub generica ratione rectitudinis & amicitia cum DEO continetur.

§. IV.

Corollaria.

9. Colliges ex dictis primò. Causam cur plures maculæ peccatorum sint in homine sapius peccante mortaliter, quamvis per primum peccatum mortale totius gratiæ privatio sit introducta, esse ipsam connotationem ad novam causam novi videlicet peccati mortalis. Ita S. D. in 4. d. 18. q. 1. ad 2. quæstione, 1. ad 1. *Quamvis quantum ad ipsam privationem gratiæ non differant maculæ peccatorum, differunt tamen quantum ad causam, ex quâ macula consequitur, & secundum hoc etiam quodlibet peccatum unam maculam addit, in quantum novum obstaculum gratiæ ponit.* Ita S. D.
10. Colliges secundò. Possè peccata habitualia per absolutam DEI potentiam remitti absque ullo actu proprio peccatoris, per solam infusionem

gratiæ sanctificantis: quia quævis privatio potest destrui per formam oppositam: sed peccata habitualia formaliter consistunt in privatione gratiæ sanctificantis: ergo si DEUS infundat gratiam sanctificantem [quod potest per absolutam potentiam independentem à dispositione peccatoris] tanquam formam oppositam, eo ipso destruet peccata habitualia, & consequenter remittentur peccata.

Colliges tertio. Nullum peccatum remitti potest etiam per absolutam potentiam saltem in hoc statu [nam quid in statu puræ naturæ, dicitur in Traçt. de Gratia] per solam condonationem extrinsecam: neque enim privatio tolli potest, nisi per formam oppositam: sed saltem in hoc statu naturæ elevatæ in finem supernaturalem peccatum habituale formaliter consistit in privatione gratiæ sanctificantis: ergo non nisi per gratiæ infusionem remitti potest.

Colliges quarto. Peccati maculam reduci potest pertinere ad speciem peccati actualis; æquocausatur: quia in esse moris & secundum rationem voluntarii dependet à peccato præterito, tanquam causa sua morali: ergo exinde etiam accipit speciem & distinctionem in esse moris.

DISPUTATIO XXIV.

DE

Reatu pœnæ. ad q. 87.

PRIMO effectui peccati actualis physico-moralis, qui est macula peccati, subnectitur alter effectus purè moralis & demeritorius, qui est reatus pœnæ: unde tam de reatu, quam de pœna ipsa hoc loco disputamus.

ARTICULUS I.

Quid sit reatus pœnæ?

SUMMARIÆ.

1. Quid significetur nomine pœnæ?
2. Alius reatus culpæ, alius pœnæ.
3. Plura concurrentia ad reatum pœnæ.
4. Reatus pœnæ est effectus culpæ.
5. Inchoativè consistit in condignitate ad pœnam.
6. Indistincta à macula peccati.
7. Completivè etiam in passiva obligatione ad pœnam.

§. I.

Prænotanda.

1. Notandum primò. Quamvis in latiori sensu quæcunque animi, aut corporis molestia etiam in exercitationem humilitatis, patientiæ, &c. immixtæ pœnæ soleant appellari; propriè tamen hoc loco nomen pœnæ significare aliquod incommodum hominis naturali inclinationi contrarium, & in culpæ vindictam infligendum, adeò ut pœna nunquam sit sine connotatione essentiali ad culpam præsuppositam, ratione cujus infligitur.
2. Notandum secundò. Reatum distingui in

reatum culpæ & reatum pœnæ. Reatus culpæ est illa subiectio, quæ peccator post commissum peccatum quasi captivus tenetur sub servitute peccati, & impotens ut ab ejus macula propriè viribus expedire se possit. Quo sensu etiam dicitur potest reatus culpæ illa necessitas, quam habent posteri Adami, ut in primo conceptionis instanti contrahant originale peccatum. Hoc loco nota de reatu culpæ, sed pœnæ sermo est.

Notandum tertio. In reatu pœnæ, qui exinde dicitur, quòd aliquis est reus pœnæ perferendæ, tria concurrere. Primum est ipsa peccatoris condignitas & proportio ad pœnam ratione culpæ contractæ subeundam: nam, sicuti quilibet actum meritorium, eo ipso dignus est premio, ita, qui fecit malum, eo ipso est dignus pœnâ, seu reus pœnæ. Alterum est activa obligatio, seu extrinseca ordinatio peccantis ad pœnam subeundam facta ab eo, cui jus est leges pœnalis ferendi, & exequendi. Tertium est passiva obligatio, seu denominatio extrinseca, ab illa extrinseca & activa ordinatione proveniens: per quam

quam peccator denominatur obligatus ad poenam.

4. Notandum quartò. Esse de fide certum, quòd reatus poenae sit effectus peccati actualis: ita enim constat ex Script. Pl. 36. *Injusti punientur.* Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehenna ignis.* Ex definitione Trid. Sess. 6. can. 30. & Symbolo Athanasii: *Qui verò mala egerunt, ibunt in ignem eternum.*

Ratio ex dictis est: Ita se habet proportionaliter in peccato reatus poenae, sicut in bonis operibus dignitas ad primum: sed bonum opus est dignum premio: ergo & malum opus est dignum supplicio: & ideo dicitur Proverb. 13. *Peccatores persequitur malum, & iustis retribuentur bona.* Superest, ut, in quonam formaliter consistat reatus poenae, determinemus.

§. II.

Afferio Thomistica.

5. **CONCLUSIO.** *Reatus poenae inchoativè consistit in (1) intrinseca condignitate peccantis ad poenam, (2) qua non nisi ratione ratiocinatà distinguitur à macula peccati: (3) completivè tamen consistit in extrinseca denominatione, seu passiva obligatione ad poenam subeundam.* Ita quoad 1. & 2. partem Gonet, & Salmanticenses, quoad 3. Sylvius cum aliis à se citatis.

Ratio primae partis est: cita quod primò concipitur in reatu est esse dignum supplicio, nec prius aliquis deputatur ad poenam, quam sit dignus poena: sicuti prius aliquis in executione supponitur dignus premio, quam deputetur ad primum. Ideoque peccans potest esse dignus poena, quantumvis non deputetur ad poenam; & si quis deputaretur ad subeundum supplicium absque sua culpa, non ideo diceretur reus poenae, siquidem non esset dignus illo supplicio.

6. Ratio secundae partis est: quia si illa condignitas esset realiter distincta à macula peccati, vel esset relatio realis, vel rationis, vel denominatio extrinseca ab ordinatione divina. Non primum, quia in privativo, qualis est macula peccati, non potest fundari realis relatio: saepe etiam terminus hujus relationis nempe poena realiter non existit. Non secundum, quia reatus poenae datur nemine cogitante. Non tertium, quia illa denominatio extrinseca, sicut & ordina-

tio activa praesupponit peccatoris intrinsecam condignitatem demeritoriam. Est ergo reatus ipsamet macula peccati, quae sub ea ratione, quae connotat animae supernaturalem pulchritudinem, sibi oppositam, vocatur macula: sub ea ratione, quae connotat poenam, cui peccatorem habitualiter subiectum denominat, sic dicitur reatus. Et haec diversa connotatio sufficit ad distinctionem rationis ratiocinatæ. Unde sicuti eadem forma gratiae sanctificantis primariò facit hominem sanctum, & participem naturae divinae, secundariò verò dignum vitæ aeternae; sic contra privatio gratiae sanctificantis primariò reddit hominem maculatum, DEOque infensum, secundariò verò dignum poenâ aeternâ.

Ratio tertiae partis est primò: quia nisi accedat divina deputatio ad poenam, macula peccati non sufficit ad tribuendum effectum reatus: ergo divina ordinatio requiritur per modum conditionis complementis reatum & efficaciam demeritoriam peccati: Antec. constat in damnatis, qui licet continuo peccent, non tamen de novo demerentur, nec proinde contrahunt novum reatum poenae sensus, vel damni, defectu divinae ordinationis solummodo viatorem peccantem, non verò in viâ termino constitutum deputantis ad poenam; quemadmodum & Beati, quamvis perpetuò versentur in actibus charitatis, non tamen merentur novum primum, defectu divinae ordinationis; solos adus viatorum acceptantis ad primum.

Secundò. Quia deleta etiam macula peccati non eo ipso deletur totus reatus poenae, quod est evidens signum, quòd adaequata ratio reatus non in sola intrinseca condignitate & macula relicta invenitur. Antec. patet imprimis in peccatore iustificato, qui deleta macula peccati mortalis, quamvis amiserit reatum poenae aeternae, adhuc tamen manet reus poenae temporalis subeundae, adeoque reatus adaequatè in sola macula non solvatur. Deinde deleta macula peccati venialis non statim deletur totus reatus poenae temporalis, quia nimirum tota poena, ad quam peccator, praesupposita sua condignitate per actuale peccatum contracta, deputatus fuit, nondum fuit per soluta. Unde multi, quantumvis in vitâ exitu omnem peccati maculam exuerint, nihilominus peccatorum poenas in purgatorio exolvunt.

ARTICULUS II.

An unum peccatum possit esse poena alterius?

SUMMARI A.

1. Unum peccatum est poena alterius.
2. Non per se,
3. Sed per accidens.
4. Poena non infligitur per voluntatem solùm permittentem.
5. Disparitas cur privatio gratiae sanctificantis possit habere rationem poenae, non item privatio relicitudinis moralis.
6. Quandonam actio mala sub ratione passionis possit esse à D&O?

§. I.

Statuitur affirmativa cum distinctione.

CONCLUSIO. *Unum peccatum actuale (1) potest esse poena alterius (2) non per se quoad rationem culpae, (3) sed per accidens.* S. D. huc q. 87. a. 2.

Prima pars constat ex S. Script. Rom. 1. *Qui cum cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt: propter quod tradidit illos DEUS in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c.* 1. Thess. 2. *Qui charitatem veritatis non receperunt, ut salvè*

ut salvi fiverent. Ideo mittit illis DEUS operationem erroris, ut credant mendacio, &c.

2. Secundæ partis ratio est primò. Pœna debet esse contra physicam inclinationem peccantis: sed culpa non est contra physicam inclinationem peccantis: licet enim sit contra moralem inclinationem naturæ rationalis quæ talis, non tamen est contra physicam inclinationem naturæ, cum sit actus elicitus, vel imperatus circa objectum delectabile.

Secundò. Pœna peccati debet posse assumi à DEO in emendationem culpæ vel reparationem læsionis per culpam factæ: sed peccatum ad neutrum finem assumi potest à DEO: non ad primum, quia novo peccato augetur culpa; non ad secundum, quia per illud DEUS de novo offenditur.

Tertiò. Pœna propriè dicta infligitur secundum rectam rationem; & est à DEO: peccatum est contra rectam rationem; & non potest esse à DEO: ergo.

3. Ratio tertiæ partis est: quia esse afflictivum hominis ratione alicujus annexi, & ex merito præcedentis culpæ, est esse pœnam per accidens; sed hoc modo unum peccatum potest esse pœna alterius: prout habet S. D. in 2. 2. q. 30. a. 1. ad 1. dicens: *Culpa potest aliquo modo esse pœna, in quantum scilicet habet aliquid annexum, quod est contra voluntatem peccantis.*

Cæterum illa connexa possunt esse in primis subtractio abundantium & efficacium auxiliorum, quæ facta in pœnam præcedentis peccati, homo labitur in novum peccatum, quod etiam ab Apostolo significatur. Secundò. Inordinatio & afflictio tum animi, tum corporis, quæ certæ quedam peccata iræ, invidiæ, impuri amoris, &c. comitari solet. Tertiò. Effectus afflictivi animi vel corporis, qui è peccatis oriuntur, ut sunt infamia, morbi, paupertas, & præcipuè vermis seu remorsus conscientiæ: Et hoc modo exponendi sunt prælegati textus S. Script. & illud D. August. 2. Conf. c. 12. *Iussisti Domine, & sic est, ut pœna sua sit sibi omnis inordinatus animus. Quo sensu quoque Seneca. Maxima peccantium pœna peccasse, & sceleris in scelere supplicium est.*

§. II.

Solvuntur Objectiones.

4. Objicies primò. Etiam si peccatum in ratione culpæ non pertineat ad voluntatem positivam beneplaciti; pertinet tamen ad voluntatem

rem permissionis: ergo, etsi à DEO non infligitur in pœnam decreto positivo, poterit tamen infligi decreto permissivo.

Respondeo negando consequentiam. Nam sicuti voluntas permissionis non sufficit ad hoc, ut DEUS dicatur causare culpam, ita neque sufficit ad hoc, ut dicatur infligere pœnam, cum inmissio & inflictio pœnæ requirat voluntatem & ordinationem voluntatis positivam.

Objicies secundò. Peccatum habituale consistens in privatione gratiæ sanctificantis, potest habere rationem pœnæ, in quantum per ipsum homo privatur maximâ suâ perfectione: ergo similiter peccatum actuale habens proformali privationem debitæ rectitudinis proprie potest habere rationem pœnæ, in quantum per illud homo privatur perfectione rectitudinis moralis.

Respondeo negando consequentiam. Quia privatio debitæ rectitudinis, quæ reperitur in actu peccati, est privatio formæ purè moralis, ipsam actum immediatè perficientis in ordine ad legem, & regulam rationis, ipsamque actum in se afficit & absolute malum denominat, quod tantum pertinet ad genus culpæ: atqui privatio gratiæ quantumvis sub ea ratione, quæ tollit habitualem rectitudinem & subjectionem hominis ad DEUM, pertineat ad genus moris & culpæ; qui tamen simul ab anima formaliter tollit physicam perfectionem vitæ supernaturalis, quæ homini in seipso perficitur, eatenus quoque potest pertinere ad genus pœnæ.

Objicies tertiò. Potest aliquid esse à DEO sub ratione passionis, quod non est à DEO sub ratione actionis, veluti patet de passione Christi: ergo licet peccatum non possit esse pœna à DEO infligita sub ratione actionis à voluntate egredientis, potest tamen esse à DEO sub ratione passionis in voluntate receptæ.

Respondeo, antecedens posse verificari de actione transeunti, non de actione permanenti. Disparitas est: quòd in actione transeunti passio est effectus peccati existentis in voluntate, & potest à subjecto in quo recipitur, ejusque acceptivâ voluntate dignificari, quemadmodum passio Christi erat effectus malæ voluntatis Judæorum, & quatenus in corpore Christi recepta, & per ipsius voluntatem meritorie oblata recipiebat infinitam dignitatem. Atqui actio immanens, quæle est peccatum voluntatis, in quo malitia intrinsecè reperitur, in ipsamet voluntatem, in qua recipitur, suam malitiam refundit, eamque commaculat tam ut est in ipsa, quam ut est ab ipsa.

ARTICULUS III.

An peccatum mortale ab intrinseco inducat reatum pœnæ æternæ.

SUMMARIA.

1. Articulus fidei de æternitate gehennæ.
2. Intelligentis secundum legem DEI ordinariam.
3. Peccatum mortale per se inducit reatum pœnæ æternæ.
4. Pœna inferni non est intensivè infinita.
5. Peccatum veniale non inducit reatum pœnæ æternæ, sed temporalis.

6. An sit proportio inter temporale delictum, & pœnam æternam?

§. I.

Statuitur sententia affirmans.

Suppono primò tanquam de fide certum, pœnas damnatorum fore æternas. Ita contra Origē-

Originem, qui l. i. periarcon. c. 6. poenas damnatorum, etiam ipsorum demonum aliquando per DEI misericordiam finiendas esse asseruit, definitum est in Conc. Later. c. *firmiter*, de Summ. Trin. Trid. Sess. 6. cap. 14. & 25. Sess. 14. cap. 5. Habetur If. 66. Marci 9. & Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium aeternum*, sive ut D. August. legit, *in combustionem aeternam*. Et Apoc. 14. *Cyrciabuntur igne & sulphure in secula seculorum*. Idem habetur in Symbolo Athanasii & passim apud SS. PP.

2. Suppono secundò. Hanc gehennam & infernalium poenarum aeternitatem esse de fide quoad legem DEI ordinariam: quã non obstante valde probabile est, per extraordinariam DEI legem & singulari DEI privilegio de facto aliquos ab inferis revocari. Nam ut relinquamus Trajani Imp. relationem, quem aliqui precibus D. Gregorii ex inferno ereptum tradidere, & tanquam probabile refert S. Th. in 4. d. 45. q. 2. a. 2. quæstionum. 1. Baronius tamen to. 6. ad an. 604. fabulam reputat, risu potius despiciendam, quam disputatione seriã confutandam: nec immeritò, cum constet, illum Imperatorem non tantum fuisse crudelissimum Christianorum persecutorem, sed etiam pederastiã vitio inquinatum, etsi aliàs eximium iustitiã cultorem: Nihilominus è sacra & Ecclesiastica historia constat, multos à Christo, Apostolis, aliisque Sanctis, tum etiam intercessione Beatissimæ Virginis fuisse miraculose ad vitam revocatos, è quibus aliqui fuere infideles, idololatræ, peccatores, & in eum finem ad vitam revocati, ut converterentur, & poenitentiam agerent, adeòque fuerunt à tormentis infernalibus, sive illa in loco inferni sive in alio juxta Divinam iustitiã ordinationem paterentur, liberati. His positis, ad quæstionem articuli sit

3. CONCLUSIO. *Peccatum mortale per se, & ex intrinseca sua malitia inducit reatum poenae aeternae.* S. D. a. 3. & 4.

Ratio est: Peccatum ex se habenti inordinationem irreparabilem per se debetur poena aeterna, & interminabilis: sed peccatum mortale habet ex sua natura inordinationem irreparabilem, ergo ipsi per se convenit debitum & reatus poenae aeternae. Major probatur: quia quamdiu manet causa necessaria, tamdiu manet effectus ipsius: sed peccatum est causa necessaria reatus poenae: ergo quamdiu manet peccatum & culpa, tamdiu manet reatus poenae: atqui in peccato habente ab intrinseco irreparabilem inordinationem culpa manet interminabiliter: ergo etiam ipsi respondet reatus poenae interminabilis.

Minor etiam ostenditur primò: quia peccatum mortale hominem avertit & deordinat ab ultimo fine ex propria sua ratione: sed deordinatio ab ultimo fine est naturã suã irreparabilis: quia ultimus finis in moralibus, est sicut primum principium in speculativis; error autem circa prima principia est irreparabilis. Secundò, quia illa inordinatio est irreparabilis, per quam destruitur principium totius ordinis supernaturalis, nimi-

rum gratia & charitas; sicuti propterea mors & cæcitas sunt naturã suã irreparabiles, quia illa destruit principium vitæ, ista verò principium vitæ: sed per inordinationem peccati mortalis destruitur gratia & charitas, tanquam principium radicale totius ordinis & vitæ supernaturalis: ergo.

§ II.

Corollaria.

4. Inferes ex dictis primò. Poenam inferni, etsi sit extensivè seu quoad durationem infinita, utpote interminabilis & sine carens, non tamen esse simpliciter infinitam; nec quoad poenam damni, hoc est privationem visionis beatificæ, nec quoad poenam sensus, h. e. afflictionem dolorosam ab igne extrinsecus illatam, quam in Tract. de Angelis exposui.

Ratio est primò. Malitiã simpliciter finitæ non nisi poena finita respondere debet: atqui peccati malitiã est simpliciter finita: ergo. Neque dicas, esse infinitam in ratione offensæ: nam offensæ non respondet poena, sed satisfactio; ideoque ad condignè satisfaciendum pro peccato mortali etiam requirebatur infinita satisfactio.

Ratio est secundò. Visio beatificæ non est simpliciter & subjectivè infinita: ergo nec privatio visionis quæ est poena damni. Implicat etiam qualitas physica infinite intensæ: sed poena sensus activè consistit in dolorifera qualitate ab igne infernali impressa: ergo non potest esse simpliciter infinita.

Inferes secundò. Peccatum veniale non inducere reatum poenae aeternae, quia non avertit efficaciter ab ultimo fine, & relinquit principium vitæ ac ordinis supernaturalis, ex quo peccans seipsum reparare, & veniale peccatum potest extinguere.

6. Obijcies: Poena debet esse proportionata delicto: quia ut dicitur Deut. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*: sed poena aeterna nullam habet proportionem cum culpa mortali: ergo culpa mortalis per se non inducit poenam aeternam. Minor probatur: quia peccatum mortale est saepe momentaneum; at poena aeternam durat.

Respondeo primò, non esse necessariam proportionem inter durationem poenae, & culpæ: nam etiam pro brevi delicto mors irreparabilis & exilium perpetuum infligitur.

Respondeo secundò ex S. D. hic q. 87. a. 3. ad 1. quòd peccans mortaliter, interpretativè & virtualiter velit aeternum peccare, in quantum aeternam DEI fruitionem bono creato postponit, & in hoc suum ultimum finem constituit, ponendo inordinationem ab intrinseco irreparabilem, in qua sufficiens fundatur proportio.



ARTICULUS IV.

An peccatum veniale per accidens puniatur pœnâ æternâ?

SUMMARI A.

1. Status questionis.
2. Veniale quoad culpam remissum in inferno puniatur temporaliter, ex doctrina D. Th.
3. Et ratione.
4. Peccatum veniale nondum quoad culpam remissum per accidens puniatur æternaliter.
5. Ratione D. Thoma.
6. Non ideo DEUS punit ultra condignum.

§. I.

Resolutio negativa pro venialibus quoad culpam remissis in hac vita.

1. Status questionis est, an, si homo moriens in peccato mortali secum deferat ad infernum venialia peccata nondum expiata in hac vita, ut ferè semper contingit, pœnam pro illis peccatis debitam temporaliter exsolvat, vel utrùm illa non quidem per se & ex merito peccati, sed tamen per accidens propter statum damnationis ex temporali mutetur in æternam? Id porro fieri potest dupliciter, vel ut venialia fuerint quoad culpam remissa in hac vita, nondum verò satis expiata quoad reatum pœnæ. Vel secundò, quòd neque fuerint remissa quoad culpam.

2. CONCLUSIO PRIMA. Peccatum veniale quoad culpam remissum in hac vita, [idem esto iudicium de peccatis mortalibus quoad culpam remissis] & nondum plene expiatum in inferno non puniatur pœnâ æternâ, sed temporaliter. Ita communiter Thomistæ: cum quibus in hac parte etiam sentit Scotus.

Probatur primò autoritate S. D. in 4. d. 22. q. 1. a. 1. ad 5. ubi rejectâ opinione contrariâ sic resolvit: *Ideo alii dicunt, quòd pœna, cuius aliquis est debitor, post culpam remissam in inferno puniatur temporaliter. Nec propter hoc sequitur, quòd in inferno sit redemptio, quia pœna, que solvitur, non redimitur. Nec est inconueniens, quòd quantum ad aliquid accidentale pœna inferni minuat usque ad diem iudicii, sicut etiam arguetur. Hac, S. D.*

3. Probatur secundò ratione: Si post remissam culpam pœna temporalis adhuc debita mutaretur in æternam, DEUS puniret ultra condignum: sed hoc repugnat bonitati Divinæ: ergo. Sequela probatur, punire pœnâ æternâ, ubi nulla est condignitas ad pœnam æternam, est punire ultra condignum: sed peccato semel remisso nulla remanet condignitas ad pœnam æternam; si quidem hæc fundatur in culpa mortali: ergo.

Probatur tertio. Si pro peccato mortali remissio sustineri deberet pœna æternâ, tunc aliqua peccata remissa etiam de lege DEI ordinaria redirent quoad reatum pœnæ æternæ: sed hoc est absurdum, ut infra ex Tract. de pœnit.

Probatur quarto. Nulla est assignabilis ratio, cur pœna temporalis pro peccato jam remisso debita mutari deberet in æternam. Non quia damnatus est extra statum viæ, & satisfactio:

quia ad exsolvendam pœnam etiam sufficit facta passio, que in inferno locum habere potest. Non quòd damnatus est obstinatus in malo: quia respectu peccati jam in hac vita retractati & remissi nullam habet obstitutionem. Non quòd interialis pœna non minuitur; quia hoc est intelligendum de pœna essentiali, non accidentali. Non quòd in hac vita nemo constitutus in statu peccati mortalibus possit exsolvere pœnas pro venialibus, aut mortalibus jam remissis debitas: quia hæc vita est status merendi & satisfaciendi: atqui non acceptatur satisfactio, que non est à persona grata & iusta.

§. II.

Resolutio affirmativa pro venialibus nondum remissis quoad culpam.

CONCLUSIO SECUNDA. Peccatum veniale nondum remissum in hac vita, in inferno puniatur per accidens pœna æternâ. Ita contra Scotum in 4. dist. 21. S. D. hic a. 5. ad 3. & q. 1. de malo. a. 10. ubi hæc habet: *Veniale peccatum non meretur pœnam æternam ex specie sua, neque ex parte inherente ad subiectum per se loquendo, quia non privat gratiâ, sed per accidens fit irremissibile peccato mortali conjunctum, in quantum est in subiecto privato gratiâ, & sic per accidens puniatur pœnâ æternâ. Similia habet q. 5. de malo, a. 1. ad 8. & in 4. dist. 21. q. 1. a. 2. questiuic. 3.*

Ratio jam indicata est primò. Tantuò non exsolvitur pœna, quantum non remittitur culpa, quæ est causa necessaria reatus pœnæ: sed in inferno culpa venialis in æternum non remittitur: ergo etiam pœna in æternum non exsolvitur. Minor constat: quia nullum peccatum etiam veniale de lege DEI ordinaria remittitur, nisi sit formaliter aut virtualiter retractatum: sed in inferno, ubi est perpetua obstinatio in malo, & denegatio omnis auxilii supernaturalis, nulla potest esse peccati retractatio & penitentia: ergo.

Secundò. Macula peccati venialis sicut formaliter opponitur extensivo fervori charitatis, ita per eundem tollitur: sed in inferno non potest esse fervor extensivus charitatis, sicut nec ipsa charitas: ergo in inferno macula peccati tolli non potest. Dixi tamen, pœnam esse per accidens æternam: quia æternitas pœnæ non est ex intrinseca condignitate & demerito culpæ venialis, sed ex conjunctione cum peccato mortali, & conditione subiecti, cui in statu damnationis constituto etiam veniale peccatum remitti amplius non potest.

Dices: Si DEUS veniale peccatum punit pœnâ æternâ, quod tamen meretur solum pœnam temporalem, tunc illud punit ultra condignum: sed hoc est absurdum: ergo. Respondeo distinguendo maj. nisi illud veniale fiat per accidens irremissibile, concedo; secus, nego: tunc enim etiam per accidens habet condignitatem ad pœnam æternam.

In Abbat

7. Instabis: Ordo Divinæ justitiæ exigit, ne peccatum puniatur ultra suam exigentiam demeritoriam; sed exigentia demeritoria peccati venialis, etiam ut conjuncti cum peccato mortali tantum est ad pœnam temporalem: ergo secundum ordinem Divinæ justitiæ veniale etiam ut conjunctum cum mortali non nisi pœnâ temporali punitur. Minor probatur. Conjunctio cum mortali non mutat naturam peccati venialis, nec illud trahit extra suum genus: sed peccatum veniale ex genere suo tantum habet exigentiam demeritoriam ad pœnam temporalem: ergo etiam ut conjunctum cum peccato mortali tantum exigit pœnam temporalem.

Respondeo negando minorem, ejusque probationem distinguo: peccatum veniale ex genere suo tantum habet exigentiam demeritoriam pœnæ temporalis, negativè [hoc est, non exigit majorem pœnam, quam temporalem; ita tamen ut ex adjuncta conditione subjecti possit admittere vel positivam exclusionem, vel exigentiam pœnæ æternæ] concedo; positivè, nego min: ergo etiam ut conjunctum cum mortali tantum exigit pœnam temporalem, quantum est de se ne-

gativè, concedo; quantum est ex conditione subjecti, positivè, nego consequentiam.

Igitur observandum est ex Salmantic. hîc disp. 17. n. 74. Peccatum veniale considerari posse in triplici statu. Primò, prout connotat subjectum DEO gratum per gratiam & charitatem, quâ ratione determinatè exigit pœnam temporalem, & excludit æternam. Secundò, prout connotat subjectum DEO exosum per peccatum mortale, & sic positivè exigit pœnam æternam, quia ex conditione talis status fit irremissibile in sensu composito illius status. Tertio, prout præscindit à connotatione & conditionibus subjecti, & sic non postulat quidem pœnam æternam, est tamen indifferens, ut juxta conditionem subjecti vel habeat determinatam exigentiam remissionis, adeoque & temporalis punitionis, si illud sit constitutum in gratia; vel determinatam exigentiam pœnæ æternæ, si illud sit constitutum in statu peccati mortali, eò quòd subjectum DEO exosum in sensu composito illius status, etiam in peccatum veniale refundat tam culpæ, quam pœnæ irremissibilitatem.

DISPUTATIO XXV.

DE

Peccato veniali, ad q. 89.

Hactenus de peccato personali mortali, tanquam principali analogato sub nomine & genere peccati, dictum: nunc peccatum veniale subjungimus; sic appellatum, quòd non destruat principium veniæ, h. e. gratiam & charitatem; quemadmodum ex opposito mortale dicitur, quòd destruit gratiam, tanquam principium vitæ supernaturalis.

ARTICULUS I.

An, & quid sit peccatum veniale?

SUMMARIUM.

1. Fides docet dari venialia.
2. Quæ sunt talia ex sua natura.
3. Alia venialia ex genere suo, alia per accidens.
4. Plures differentie inter mortale & veniale.
5. Quid sit actum esse simpliciter contra legem?
6. Primaria differentia inter peccatum mortale & veniale.
7. Objectiones.
8. Solvuntur.
9. Regula discernendi veniale a mortali.

§. I.

Præsupposita.

1. Suppono primò tanquam de fide certum, dari quædam peccata venialia. Ita definitum est in Concil. Milevit. can. 7. & Trid. Sess. 6. c. 11. deducitur ex S. Script. Matth. 7. ubi aliqua peccata festuca, alia verò trabi comparantur. Item Eccles. 7. Prov. 14. & Jac. 3. ubi dicitur, omnes homines, & quidem quotidie peccare, quod de

R. P. Mezger, Theol. Schol., Tom. 11.

peccatis mortalibus non potest intelligi, cum multi reperiantur sancti & justii, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela, ut constat ex Luca 1. Gen. 6. Job. 1. Dan. 6. igitur tantum intelligi potest de levibus & venialibus peccatis, in quæ etiam justii cadunt, juxta illud: *Septies in die cadit justus*. Ratio congruentiæ est: quia etiam in sacra amicitia & civili societate committuntur offensæ aliquæ graves, aliquæ verò leves: ergo idem contingere potest in amicitia, quæ DEUM inter & hominem intercedit.

Suppono secundò. Dari venialia, quæ non sunt talia propter solam extrinsecam non imputationem DEI, sed ex sua natura intrinsecâ; nam ita primò definiunt Pius V. & Gregorius XIII. damnantes hanc propositionem Michaëlis Bay: *Nullum est peccatum naturâ suâ veniale*: sed omne peccatum meretur pœnam æternam. Secundò: quia sunt aliqua peccata, quæ non feruntur in objectum repugnans charitati, suntque offensæ

H h

iones